MASTER NEGATIVE NO. 93-81213-21

AUTHOR:

EBINGER, JULIUS

TITLE:

DE GENETIVI APUD GRAECOS POETAS...

PLACE:

REGIMONTI Pr.

DATE:

[1862]

Master Negative #

93-81213-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887 Ebinger, ~~Karl Friedrich~~, Julius. 1841-
Z4 De genetivi apud Graecos poetas antiquissimos usu; caput 1. De genetivi vi et natura.
Regimonti Pr. [1862]. O. pt. 1, 37 p.
23780 Doctor's dissertation at Kiel (Ger.) university.
No. 8 of a volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/26/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

No. 8.

DE GENETIVI APUD GRAECOS POETAS ANTIQUISSIMOS USU.

CAPUT I. DE GENETIVI VI ET NATURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. V. IDUS APRILIS ANNI MDCCCLXII

H. XI. L. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS EBINGER

PILLAVIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

O. HAHN, CAND. PHIL.

O. de GOLENSKI, STUD. PHIL.

REGIMONTI PR.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

AMPLISSIMAE

SOCIETATI PACIS GUMBINNENSI

OPTIME DE SE MERITAE

HUNC LIBELLUM

ACCEPTUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Caput I.

De genetivi vi et natura.

1. Nullus fortasse in arte grammatica locus adhuc adeo in tenebris versatur atque quasi Oedipum desiderat, quam illa quaestio, quae est de casuum in linguis antiquis natura et notione simulque, ut par est, principalem illorum significationem perscrutatur. Quod qui summo studio disceptarent, exstiterunt quidem multi, impulsi maxime cum aliis *G. Hermanni* operibus, tum libro *de emendanda ratione graecae grammaticae;* atque postea affinitate linguarum indogermanicarum detecta, quum harum comparatione multum adjuvarentur remque quasi ex altiore loco intuerentur, latioribus finibus studia sua descripserunt; at qui candido animo neque opinionibus praejudicatis ductus ea, quae praestiterunt, consideraverit, eum fugere non poterit, quam longe a recta casuum intellegentia absint. Quum enim, si via et ratione rem tractare voluissent, usu firmissime constituto ad ejus principia et quasi fontes, quantum fieri posset, esset ascendendum: hi malebant profecti ex principiis speciem quidem justae rationis praebentibus, sed quibus res non ab omni parte ponderatur, ratiocinantes casuum notiones construere in

constructasque sermonis usum, quum sponte non obsequeretur, quasi vi concludere et coartare. Concedo, si illam, quam ostendi, viam ingrediaris, graviter desiderari linguae sanscritae syntaxin plane cumulateque et ita, ut singula inter se ordine sint conexa, tractatam: nam ut aliis locis ita hac in parte haec lingua integerrime initia conservasse videtur, quibus accurate excussis nova lux rei afferretur et magna necopinataque fortasse efficerentur. Sed etiam ea, quae ad hoc tempus explorata sunt, si circumspecte et considerate adhibueris, de casuum in linguis antiquis natura nonnulla haud levia colligere licebit, quae ut tam diu neglecta et inculta jacuerint, equidem miror quo pacto factum sit. Quamquam origo quidem casuum, ut sermonis ipsius origo, longum certe tempus post nostram aetatem, fortasse semper crassis occultata et circumfusa tenebris latebit; ut in Homeri carminibus, ita in sermone singulas quasdam partes in unum aliquid atque congruens coaluisse sentimus, sed qua ratione aut quo tempore hoc factum sit, hoc illa gens atque illa aetas, qua coaluerunt, celat quaerentique, ut ita dicam, os suum tacitum praebet.

Propositum nobis est, hac nostra disputatione casuum, inprimis genetivi, naturam quae sit in Homeri et Hesiodi carminibus, explorare et demonstrare. Praetermisissemus igitur illam quaestionem interiorem et magis reconditam, nisi res ipsa postulasset, ut breviter attingeremus. Nam et omnes, qui de casuum origine libros composuere, eam quam excusserant notionem principalem non modo ut fontem, sed quasi ut regulam immutabilem omnibus linguis omnibusque aetatibus adhibendam esse censuerunt; et in Homeri carminibus tam multa sunt, quae quum postea ab usu quotidiani sermonis jam diu sint intermissa, ex posteriorum scriptorum libris explicari jam non possunt,

ut nisi ipsam casuum vim recte perspexeris, semper a recta via aberres.

Quum igitur silentio hanc quaestionem praeterire non possimus, praecipuas de hac re opiniones exponere conati sumus et dijudicare: tum ea, quae nobis quidem linguam ipsam considerantibus quaerentibusque rationem, qua ex indogermanica effloruerit, de casuum apud Homerum notione effici posse videntur, constituimus atque probavimus; non quo negemus, fore ut posteriore tempore melius atque rectius de hac re judicetur: sed id maxime egimus, ut quae ad hoc tempus constituta sint levia esse et infirma evincamus. Nostram ipsorum sententiam retinebimus, donec aut rebus quae obstant refellatur aut alia melior afferatur.

2. Atque latissime hodie etiam floret inter grammaticos illa casuum interpretatio, qua singuli casus ad loci relationes referuntur, ita ut genetivus quaestioni *unde*, dativus quaestioni *ubi*, accusativus quaestioni *quo* respondeat. Antiquissima est haec sententia et fortasse vel ad grammaticos Alexandrinos referenda. Probata autem et ad singula accommodata recentiore demum est tempore *Hartungii* libro, qui est *Ueber die Casus, ihre Bildung und Bedeutung. Erlang.* 1831 [1]). Omnem ait observationem a sensibus initium ducere.

„*Unsere Wahrnehmung*, inquit l. l. p. 4 sq., *geschieht theils durch die Sinne, theils durch den Geist. Die sinnliche Wahrnehmung geht überall voran, dieser dient darum auch die Sprache früher, als der geistigen. Vermöge der Analogie des Geistigen und Sinnlichen, wird*

---

1) Librum *Wüllneri*, paullo prius editum (*Die Bedeutung der sprachlichen Casus und Modi. Münch.* 1827.) inspicere mihi non licuit. Tamen quamvis multa propria habeat, in re ipsa a Hartungio differre non videtur.

dann das Wort auf die geistige Wahrnehmung übertragen ..... Wo demnach sinnliche Anwendung neben der metaphorischen vorhanden ist, da ist ohne Bedenken von jener auszugehen, erstlich, weil sie die frühere ist, und zweitens, weil die Wahrnehmung durch die Sinne zugänglicher, darum die sinnlichen Begriffe leichter aufzufassen sind, und folglich auch die Kraft des Worts, wenn es von da aus auf das Geistige übertragen wird, sicherer zu begränzen und zu bestimmen ist."

Itaque, quum casus in linguis veteribus interdum ita inveniantur, ut ad relationes loci referendi sint, hanc eorum esse notionem principalem (l. l. p. 5); usurparique genetivum et accusativum ad locum significandum, aut ex quo aut ad quem quid moveatur. Ubi quid sit, in nonnullis linguis duobus casibus indicari, quorum alter locum ipsum occupatum significet, alter locum, qui ex actionis regione situs sit: et ita exsistere instrumentalem (localem, ablativum) et dativum. l. l. p. 8. Ex his casuum varios usus exponit, qua in disputatione non parva mentis utitur subtilitate, id quod ne adversarii quidem negare potuerunt: cf. *Rumpel, Casuslehre p.* 95 *annot.*

3. Huic doctrinae locali obluctantur grammatici illi et philosophi, qui Humboldtii dogmatis et placitis nisi antiquum praeceptum repetiverunt, ex quo genetivus quaestioni *cujus*, dativus quaestioni *cui*, accusativus quaestioni *quem* respondeat. Summum et primum locum inter hos obtinet *Th. Rumpel* libro suo *Die Casuslehre in besonderer Beziehung auf die griechische Sprache. Hall.* 1845. Atque casus quidem censet vocum formas in ipso sermonis ingenio positas et necessario cum eo conjunctas esse: casus igitur uniuscujusque significationem in omnibus linguis, quibus idem casus sit, utique eandem esse l. l. p. 124; id quod idem adversarii defendere videntur, qui doctrinam localem sequuntur. Loqui autem non posse homines, nisi per sententias l. l. p. 108 sq., quarum necessaria membra esse subjectum et praedicatum l. l. p. 110. Subjecto respondere nomen, praedicato verbum l. l. p. 110 sq. Jam ex casibus nominativum esse casum subjecti l. l. p. 126 sq., accusativum objecti i. e. ejus nominis, quo addito verbum augeatur vel determinetur l. l. p. 127 sq.. genetivum attributi i. e. ejus nominis, quo addito substantivum augeatur vel determinetur l. l. p. 128. Denique quum subjectum conjunctum cum praedicato i. e. ipsa sententia substantivo sit determinanda, usurpari dativum (ablativum, instrumentalem, locativum) l. l. p. 129.

Attamen illi, qui hanc doctrinam sequuntur, quamvis scientia et subtilitate praestare videantur, vix auctoritatem ullam consequuti sunt; atque etiam ea, quae, quum inveteratis opinionibus obluctarentur, minime contemnenda, sed etiam probanda attulerunt, nimis neglecta sunt. Quod factum esse mihi videtur propterea, quod et nostrorum grammaticorum artibus bellum acerrimum inferunt (conf. inprim. l. l. p. 71 sqq.) et casuum notiones, quibus ex mentis nostrae indole malumus aliquid significatum esse, quod aut sensibus aut imaginatione percipere possimus, ad relationes reducunt grammaticas, in quibus nihil inest imaginationis.

4. Atque ita factum est, ut ii viri, qui novissimo tempore de Homero scripserunt, Nägelsbach et J. La Roche iterum a parte illorum starent, qui casibus linguae graecae relationes loci subjectas esse volunt.

„*Es ist bekannt,* inquit Nägelsbach (Anmerk. zur Ilias ed. II. Norimb. 1850. p. 282 sq.), *wie sehr gegenwärtig die Theorie derjenigen angegriffen wird, welche die Casuslehre auf räumliche Beziehungen zurückführen wollen. Ich fürchte, dass man durch unbedingte Verwerfung derselben in eine andere Art von Einseitigkeit*

geräth, und wenn ich auch gern zugestehe, dass es den sogenannten Localisten nicht gelungen ist, alle Erscheinungen im Gebiete der Casus aus den drei Terminis zu erklären, so kann ich mir doch eben so wenig denken, dass das Verbum gar nicht als eine bewegende Kraft sollte gefasst worden sein, mit welcher ein Wohin und Woher gegeben, und auch der Ruhepunkt gesetzt ist, in welchem die Bewegung aufhört. Vollständige Aufklärung wird am Ende wol nur die vergleichende Linguistik geben" etc.

Atque La Roche disputationem, quam scripsit de accusativo qualis sit in Homeri carminibus ab hoc ducit exordio (*Homerische Studien. Wien* 1861. *p.* 1.):

„Dass die Casus ursprünglich lokale Verhältnisse bezeichneten, wird jetzt allgemein angenommen; es ist auch das natürlichste, dass man die Gegenstände und die an ihnen vorgehenden Veränderungen zuerst nur sinnlich auffasste, und zwar zunächst räumlich. Es sind nur zwei verschiedene Auffassungen im Raume denkbar, Ruhe und Bewegung: letztere theilt sich zweifach, je nach dem Standpunkte des Beschauers, in Bewegung nach etwas hin und Bewegung von etwas her. Für jedes dieser Raumverhältnisse hat die Sprache eine besondere Bezeichnung: sie drückt dieselben durch die verschiedenen Flexions-Endungen aus, die an den Stamm des Nomens angehängt werden, und das sind die einzelnen Casus."

5. Mediam quandam viam secutus, Heyse (*System der Sprachwissenschaft, Berlin* 1856. *p.* 436 *sq.*), quum has duas sententias inter se conciliare studeat, a relationibus loci casus profectos esse censet, sed tum hujus originis memoria abjecta ad relationes logicas esse translatos. Disserit autem de hac re ita:

„Die Grammatiker theilen sich in ihrer Ansicht von der Entstehung und Bedeutung der Casus in zwei sich lebhaft bekämpfende Parteien: Localisten (wie Wüllner, Hartung) und Causalisten (wie Michelsen und besonders Rumpel, der die locale Erklärungsweise aufs entschiedenste verwirft). Recht und Unrecht ist hier auf beiden Seiten getheilt. Die Localisten gehen zu weit, indem sie jede, auch die abstracteste logische Bedeutung eines Casus unmittelbar aus der localen ableiten wollen. Das Raumverhältniss ist aber nur der Entstehungsgrund der Casusform und der Ausgangspunkt für den Casusbegriff. In der weitern Entwickelung der grammatischen Casusbedeutung verschwindet diese Anschauung dem Sprachbewusstsein, der Casus wird als Ausdruck eines rein logischen Verhältnisses aufgefasst, und es kann daher nicht jede Anwendungsweise eines Casus auf dessen ursprüngliche sinnliche Bedeutung zurückgeführt und unmittelbar daraus hergeleitet werden ..... Andrerseits aber haben die Causalisten entschieden Unrecht, wenn sie die localen Verhältnisse als die ursprüngliche Bedeutung der Casus unbedingt verwerfen und die abstracten logisch-grammatischen Verhältnisse als das Ursprüngliche setzen; denn die Sprache geht überall von dem Sinnlich-Anschaulichen zum Abstracten fort."

6. Difficillimam reddit hanc quaestionem, id quod non de regulis quibusdam a homine inventis vel constitutis agitur, sed de illa regula, qua mens humana, ipsa ignara, ductus casus fecerit et usurparit. Conferri possunt voces synonymae; nam ut casus, ita synonymae voces nihil aliud sunt, quam diversae ejusdem rei effigies: ut in casuum differentia, ita in vocibus synonymis pristinae originis memoria abjicitur, neque quidquam relinquitur, nisi divinatio quaedam, secundum quam hac vel illa voce utimur. Itaque quae est tali divinationi vacillatio et mutatio, ipsa differentia, et quae inter casus et quae inter voces synonymas principio fuit, paullatim necessario immutata est, ita ut alia aetate alius fieret usus. Hoc autem ex altera parte voces

synonymae a casibus differunt, quod in illis plerumque adhuc ad ipsum fontem ascendere nobis licet, in his autem nihil aliud adhibere possumus, nisi loquendi usum, quem in scriptoribus reperimus: quo quidem haec de casibus quaestio multo fit difficilior.

Sed ut jam ad propositum nostrum revertamur, hoc primum demonstremus, num recte casuum et originem et postea usum, praecipue in Homeri et Hesiodi sermone epico alterautra illarum doctrinarum explicari putemus.

7. Atque primum illae duae sententiae quamquam ab ipso fonte diversum cursum tenere videntur, id habent commune, quod tres fuisse principales casus (obliquos) statuunt, quorum naturam nunquam esse commutatam atque ex iis reliquos esse quasi abscissos. Atqui in lingua sanscrita sex casus (accusativum, genetivum, dativum, ablativum, locativum, instrumentalem) invenimus, qui dubitare non licet quin jam ante exstiterint, quam linguarum singulae, ut ita dicam, familiae inter se sint separatae. Nam et formae illorum sex casuum in linguis, quae ex antiquissima illa indogermanica originem ducunt, iterum atque iterum occurrunt, et notiones, quae illis erant subjectae, ab unaquaque reservatae sunt. Deinde certe tum, cum linguae alia ab alia secernebantur, sermoni facultas jam non erat, qua novae casuum formae crearentur. Necesse igitur est, eos casus, quos in singulis linguis indogermanicis invenimus, ex illis sex emanasse. Sin autem ex altera parte quis putet, horum sex casuum initium ab illis tribus casibus aut localibus aut grammaticis esse ducendum, certe perperam judicaverit de copia et fecunditate antiquissimi sermonis, qui quum non ab uno auctore, sed ex se ipso ortus sit, intra philosophiae angustias cogi non potest. Atque si mente inspexeris viam, qua linguae ex antiquissimis temporibus progressae sint, id

potius esse contentum intelleges, ut formarum abundantia angustioribus finibus describeretur, quam ut exiguus eorum numerus ad majorem varietatem adduceretur.

Tum illud quoque pariter utrique earum, quas attuli, doctrinarum objiciendum est, quod ne in una quidem lingua eae casuum notiones, quae principales et generales dicuntur esse, purae et integrae inveniuntur. Nam neque tres illae loci relationes exacte tribus casibus segregantnr — si quidem, ut hoc unum exemplum afferam, linguae graecae genetivus non solum locum, ex quo quid moveatur, sed etiam locum, et ubi quid sit et quo quid moveatur, indicat — neque accusativus objectum tantum verbi significat, sed etiam nominis relationem neque genetivus solum substantivi attributum, sed etiam verbi determinationem. Sin autem a principio casus aut locali relatione aut grammatica tam acriter inter se erant distincti, fieri non potuit, ut alius alius munus subiret aliusque in alium transiret.

8. Sed ut jam singula perlustremus, illi qui doctrinam casuum localem sequuntur, id quasi in fronte totius ratiocinationis ponunt, verbis atque formis primum expressa esse, quae sensibus percipiamus: si igitur verbum vel forma ita usurpata inveniantur, hunc usum primum esse statuendum. Sed ad hoc merito atque jure ab adversariis respondetur, aliter se habere voces, quae ipsas res sermone reddant, aliter formas, quibus res inter se consocientur. Atque licet ex altera parte oporteat negare, casuum notiones nihil aliud esse nisi immutabiles relationes grammaticas, licet contendamus, ut omnes linguae partes, ita casuum notiones vel amplificari vel angustioribus finibus describi vel commisceri et inter se potuisse conjungi, tamen nulla ratione eo adducimur, ut ex relationibus localibus eas profectas esse putemus.

Tum in Homerico quidem sermone, quem hoc loco maxime respicimus, neque accusativus neque genetivus ullo loco ex sua ipsorum natura ad locum referri, aut ex loci relationibus illorum principium deduci potest. Accusativus enim, ut verbis adjunctus semper actionis objectum significat, ita non alius est generis cum verbis conjunctus movendi. Item genetivus nunqnam per se locum notat, unde quid moveat vel moveatur: sed in illis locis, qui contra afferuntur, hoc inest aut in praepositione, ex qua genetivus pendet, ut ex omnibus loci adverbiis [2]) — quamquam id minime putamus praepo-

2) Abhorrere videtur ab hac lege *εἴσω*: *πέρησε δ' ἄρ' ὀστέον εἴσω* Δ 460. Z 10. *Ἴλιον εἴσω* cum *ἡγεῖσθαι* Λ 71 cum *ἐρύεσθαι* P 159 cum *ἄγεσθαι* P 163 cum *ἐπιπροϊέναι* Σ 58. 439 cum *'αγγέλλειν* Ω 145. cum *οἴχεσθαι* τ 182. 193. *οὐρανὸν εἴσω* cum *φέρειν* Θ 549. cum *λάμπειν* Λ 41. cum *ἔρχεσθαι* Π 361. *πόλιν εἴσω* cum *ὀτρύνειν* ο 40. *Πύλον Νηλήϊον εἴσω* cum *ἐλαύνεσθαι* Λ 682. *εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον* cum *φέρειν* Φ 125. *εἴσω κίε δῶμα* hymn in Merc. III, 40 *ἐυκτίμενον δόμον εἴσω* cum *ἔρχεσθαι* ω 214. *δόμον Πηλήϊον εἴσω* cum *οἴκαδε νοστεῖν* Σ 60. 441. *δόμον Ἄϊδος εἴσω* cum *δῦναι* Γ 322. H 131. Λ 263. hymn. in Vener. IV, 154. cum *κατιέναι* Ξ 457. cum *βαίνειν* Ω 246. λ 150. 627. *καταβαίνειν* ψ 252. cum *πέμπειν* ι 524. — et voce *δόμον* omissa neque tamen ita ut genitivus pendeat ab *εἴσω*: *Ἄϊδος εἴσω* cum *κατέρχεσθαι* Z 284 cum *κίειν* Z 422. *καταφέρειν* X 425. *δύνειν* Hesiod sc. 151. — atque *ἔσω*: *ἔσω κλισίην Ἀχιλῆος* cum *ἄγειν* Ω 155. 184. *ἔσω στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν* cum *ἰέναι* Ω 199. *δέρτρον ἔσω* cum *δύνειν* Λ 579. *ἔσω μέγαρον* cum *νέεσθαι* ψ 24 *σπάργαν' ἔσω* cum *καταδύνειν* hymn. in Merc. III, 237. At his omnibus in exemplis, id quod partim jam verborum ordine indicatur, accusativus est verbo subjungendus, et ut saepe etiamsi locus jam nomine substantivo est notatus adverbia loci in *ου* vel *ω* adjunguntur, *εἴσω* sive *ἔσω* vi adverbiali motionem accuratius describit; non alio modo atque H 340. Σ 282. Φ 117. 246. η 6. κ 91. σ 96. Hesiod th. 750. Sin autem *εἴσω* cum nomine arctius conjungitur, ponitur genetivus, ut η 135. *ἐβήσατο δώματος εἴσω* ϑ 290. *ὁ δ' εἴσω δώματος ᾔει*, id quod semper fieri necesse est, quum verbum non habet notionem movendi, ut hymn.

sitiones ab origine fuisse adverbia loci — aut verbum cum tali praepositione compositum est aut per se ipsum talis est naturae, ut notionem quandam egrediendi vel amovendi habeat [3]) aut genetivus grammatice quidem ad aliud vocabulum quamvis laxius referendus est [4]).

in Mercur. III, 6. *ἄντρου ἔσω ναίουσα.* Similiter ceterum Herodotus *ἔξω* cum accusativo conjungit, conf. VII, 58. *ἔξω τὸν Ἑλλήσποντον πλέων* V, 103. *ἐκπλώσαντες ἔξω τὸν Ἑλλήσποντον*, eadem constructione qua V, 104. dicit *ἐξελθόντα τὸ ἄστυ.* — Apud posteriores poetas epicos *εἴσω* sive *ἔσω* plerumque cum genetivo conjungitur, ut Apollon. Rhod. I, 357. *τόφρα κε νῆ' ἐρύσαιμεν ἔσω ἁλὸς* II, 135. *ἀλλὰ κέδασθεν εἴσω Βεβρυκίης* Nicand. th. 927. *ἀσκοῦ ἔσω βαρύθοντα μέσον διὰ πῆχυν ἐρείσας* ibid. 208. *βρυόεντος ἔσω ποταμοῖο κύλισσεν.* Multo rariora sunt exempla, quibus cum accusativo legitur: Apollon. Rhod. IV, 307. *τῷ καὶ ὑπέφθη τούςγε βαλὼν ὑπὲρ αὐχένα γαίης κόλπον ἔσω πόντοιο πανέσχατον Ἰονίοιο.* Theocr. XIII, 30. *εἴσω δ' ὅρμον ἔθεντο Προποντίδος.*

3) Ita explicandi sunt illi loci, quibus *δέχεσθαι* cum genetivo conjungitur: Ξ 202. sq. *οἵ μ' ἐν σφοῖσι δόμοισιν ἐῢ τρέφον ἠδ' ἀτίταλλον, δεξάμενοι Ῥείας* A 596. *μειδήσασα δὲ παιδὸς ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον* H 400. *κτήματ' Ἀλεξάνδροιο δεχέσθω* Λ 124. *χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο δεδεγμένος* His locis *δέχεσθαι* vim verbi *παραδέχεσθαι* suscipit, ut *δεξάμενοι Ῥείας* non sit, id quod volunt, pro *δέχεσθαι παρὰ Ῥείας*, sed pro *παραδέχεσθαι Ῥείας*. Conferas praeterea Σ 123. *ἀμφοτέρῃσιν χερσὶν παρειάων ἁπαλάων δάκρυ ὀμορξαμένην* E 187. *ὅς τούτου βέλος ὠκὺ κιχήμενον ἔτραπεν ἄλλῃ*, quo loco ceterum genetivus pendet ex conjunctis vocibus *ἔτραπεν ἄλλῃ*. Genetivo autem, qui legitur Hesiod. th. 571. *γαίης γὰρ σύμπλασσε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις* cf. K 262. *κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκεν ῥινοῦ ποιητήν* eadem ratio quae genetivo materiae substantivis apposito eamque ob rem nihil ad hoc pertinet.

4) Ita ϑ 75. *Μοῦσ' ἄρ' ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν Οἴμης τῆς τότ' ἄρα κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανεν* certe *οἴμης* cum *κλέα ἀνδρῶν* construendum est: hymnum, qui erat illius *οἴμης*. Atque etiam B 448. *τῆς ἑκατὸν θύσανοι παγχρύσεοι ἠερέθονται* grammatice quidem genetivus *τῆς* pendere videtur ex *θύσανοι*, nisi mavis etiam hunc locum in iis exemplis annumerare, quae attulimus annot. 3. Dativo simili loco utitur Apollon. Rhod. I, 944. *ἐξ γὰρ ἑκάστῳ χεῖρες ὑπέρβιοι ἠερέθονται.*

Tum memorabile videtur, illas voces, quibus quin antiquissima genetivi vestigia nobis servata sint, non dubitatur, adverbia loci in ου et ω — in ceteris casibus similia occurrunt — nunquam significare proficisci aliquid *ex* aliquo loco, sed aut esse aliquid alicubi aut moveri aliquo. Atque si vera esset haec, de qua agitur sententia, conjiceres, has maxime voces, quum antiquissimae sint, principalem, quam volunt, notionem integerrime retinuisse, praesertim cum omnibus fere relationes loci sint subjectae. Quid ergo? si in illis ipsis locis, quibus significandum erat, aliquid ex aliquo loco proficisci, non haec, quae commemoravi, adverbia in ου et ω reperimus, sed potuis formas respondentes in θεν: ὁμόθεν, αὐτόθεν, τηλόθεν, ὑψόθεν etc. vel praepositionem, ut Ω 352. ἐξ ἀγχιμόλοιο: nonne intellegis clarissime locum unde quid proficiscatur, his adverbiis genetivam formam referentibus non indicari?

Denique merito ab illis, qui ab hac doctrina abhorrent, quaesitum videtur, si re vera linguis antiquis casibus nihil aliud ab initio redditum sit, atque relationes loci, cur tandem in graeca lingua harum relationum exstiterint propria suffixa atque quomodo factum sit, ut haec suffixa saepe cum casibus respondentibus haud plane conveniant. Nam quamquam si subtiliora uon respicias, haud ita inter se differre concedimus ἐμέθεν, σέθεν, ἕθεν [5]) et genetivi illorum pronominum

---

5) His pronominum formis Homerus utitur

a) cum praepositionibus: ἀπό Z 62. K 465. M 205. Y 278. ἐξ Λ 525. E 653. I 456. Φ 217. hymn. III, 477. IV, 194. IX, 8. XXX, 4. (Theocr. ep. 13, 5. Apollon. Rhod. IV, 1762) πρό E 96. ὑπέρ Z 524. ἄνευ O 213. P 407 ἕνεκα, εἵνεκα T 128. K 27. Π 539. π 31. τ 377. ψ 304. (Theocr. XVII, 46). [ἀντί Apollon. Rhod. IV, 30. περί ibid. I, 901.]

neque ἠῶθεν notionem habet ita diversam ab ἠοῦς et reperitur E 252 μή τι φόβονδ' ἀγόρευε neque ita temere in scholiis illud Ἴδηθεν μεδέων pro Ἴδης μεδέων explicatum putamus, et similia: tamen Homerus, ut hoc unum exemplum afferam, praepositionem πρό nunquam cum dativo conjungit, non raro cum suffixo θι: ἠῶθι πρό Λ 50. ε 469 (Arat. phaenom. 308. dios. 134. 148.) Ἰλιόθι πρό K 12. N 349. θ 581. ζ 36. οὐρανόθι πρό Γ 3.

---

b) cum adverbiis loci: ἄντα φ 331. δ 160. ἀντίον Λ 230. πρόσθεν E 56. 80. Y 402. ἄσσον τ 481, praeterea cum ἕκητι υ 42 et ἀέκητι γ 213. ε 177. π 94.

c) cum verbis quibusdam cum illis praepositionibus compositis: ἐκγίγνεσθαι Y 305. περιδίδοσθαι ψ 78. ὑπερέχω I 419. 686.

d) cum verbis, quae aliis locis cum genetivo conjuntur: ἀκούειν O 199. Ω 490. ἐπακούειν T 99. (ἀΐειν Apollon. Rhod. III, 352) συνιέναι B 26. 63. Ω 133. ξ 289. θ 241. μεμνῆσθαι δ 592. θ 431. λανθάνεσθαι Λ 127. ἀντιᾶν H 231. ἀντιβολεῖν σ 273 (ἄντεσθαι Apollon. Rhod. II, 77.) πειράζειν ψ 114. καθεψιᾶσθαι τ 372. ἀλεγίζειν Θ 477. Α 180. χολοῦσθαι Σ 337. Φ 23. (χατεῖν Apollon. Rhod. I, 837.)

e) cum vi genetivi objectivi apud ἄχος Λ 169. (Apollon. Rhod. III, 391. σέθεν θεσπεσίην κληηδόνα)

f) cum comparativis: φέρτερος Α 186, κρείσσων T 217. χερείων Λ 114. Y 434. κακίων ξ 56. πλείονα Ψ 312 (σμυγερώτερος Apollon. Rhod. II, 244.)

g) in constructione genetivi absoluti: δ 293. οἰχομένοιο σέθεν π 439. ζώοντός γ' ἐμέθεν καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο (cf. Α 88. ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο υ 232. σέθεν ἐνθάδ' ἐόντος.

Cum vi genetivi subjectivi vel possessivi hae formae non leguntur apud Homerum: ita apud posteriores demum poetas epicos inveniuntur: Apollon. Rhod. II, 440. σέθεν ἄτης ibid. III 330. οὔνομα Φρίξοιο ἢ αὐτοῖο σέθεν ibid. III, 733. κασιγνήτη σέθεν ibid. IV, 279. πατέρων ἕθεν ibid. IV, 746. βουλὰς σέθεν. Quin etiam ἕθεν conjunctum legitur cum οὗ, quibus conjunctis nunquam utitur Homerus: Apollon. Rhod. IV, 1469. οὗ ἕθεν ἀμφ' ἑτάροιο μεταλλῆσαι τὰ ἕκαστα.

Ut igitur, quae adhuc exposuimus, denuo comprehendamus, jam apparet in Homerico sermone casus ad loci illas tres relationes referri non posse simulque valde dubium esse, sintne illi casus, quos in Homerico sermone invenimus, primitus ita usurpati, ut locos, aut in quem aut ex quo quid moveretur aut in quo quid esset, distinguerent. Dicimus primitus casus sic non fuisse usurpatos; nam postea illas loci relationes casuum notionibus admixtas esse, id negare non possumus atque infra explicabimus. Principium tamen casuum hinc non ducendum est, sed hae relationes, ut diximus, postea casibus admixtae et accommodatae sunt.

9. Sed ut jam ad alteram quam nominavimus doctrinam grammaticam et philosophicam transeamus, pauca liceat hac de re addere. Jam supra demonstravimus, eos qui hanc doctrinam defendant eodem modo atque qui adversariam sequantur rem non recte atque complete perspicere, si primitus tres fuisse casus existiment atque ablativum, locativum, instrumentalem dativo subjungant. Accedit, quod, ut re vera ablativi notio dativo subjungenda sit, liceat quaerere, quomodo fieri possit, ut in graeca lingua ablativus casu genetivo reddatur.

Deinde jam supra attulimus, etiam hanc rationem non ubique adhiberi posse, genetivumque, ut nomini, ita verbo, et accusativum, ut verbo, ita nomini adjungi. Quod si ita interpretantur, ut horum duorum casuum notiones amplificari censeant, et genetivum etiam qualitatis, accusativum quantitatis determinationem notare, vi quadam rem obtinere conantur et suae ipsorum doctrinae repugnant. Nam neque res tam contrariae hoc modo alia in aliam abire possunt, et ipsi dixerunt, casuum naturam mutari non posse. Sed ut illud quod volunt possit fieri, num hac ratione aut temporis aut loci genetivum possumus explicare? nonne longe a recta

via aberrabimus? Certe, si talis esset genetivi natura, consentiendum erit Rumpelio, qui l. l. p. 245 de „ineffabili quodam mysterio“ genetivi loquitur. Evanescit autem hoc „mysterium“, si genetivo vim partitivam concedis, neque vero „illa suavitas, illa poetica vis“ horum genetivorum perditur.

Reliquum est, ut in illud, ex quo Rumpel quique hunc sequuntur sententiam suam deducunt, inquiramus. Nam simul atque hoc, quod quasi fundamentum jecerunt, diruerimus, totum aedificium corruere necesse erit. Ratiocinatur igitur, ut supra demonstravimus, Rumpel, qui auctor hujus doctrinae est, hoc fere modo. Sermonis principium atque fontem non esse vocem, sed enuntiationem, qua loquentes cogitata nostra exprimamus: enuntiationem autem constare ex subjecto et praedicato. Atque hoc quidem optime disputavit; sed ea concedere non possumus, quae tum persequitur, respondere subjecto nomen, praedicato verbum. Nam subjectum atque praedicatum, quoniam in sententiis aptissime cohaerent neque alterum sine altero esse potest, ejusdem in sermone sunt condicionis neque alterum altero prius esse potest: atqui quantum linguarum indogermanicarum antiquitatem perspicere possumus, nomen unumquodque ex verbo aliquo manavit; sequitur igitur, subjecto, si quidem eodem ac praedicatum jure atque condicione utatur, nomen substantivum respondere non posse. At quae tandem vox principio subjectum notavit? Pronomen. Pronomen enim atque verbum nullo modo alterum ex altero pendent atque res vel actiones, quarum in sermone quasi imagines sunt, ipsas indicant. Quod bene perspexisse atque observare quanti sit in rebus etymologicis momenti, jam Bopp docuit: non minus grave est in casibus interpretandis. Scilicet quum in sermone non radices radicibus sint appositae, sed semper quasi in unum corpus confusae, id non cogitabimus, in sen-

tentiae forma principali pronomen atque verbum inter se discreta atque separata fuisse, sed coaluerunt et ita facta est illa quam dicere solemus conjugationem.

Quae si re vera est forma enuntiationis principalis, necesse est principio casum unumquemque cum verbo conjunctum fuisse; neque alia ratione casuum notiones interpretari licet. Pronomen enim ita per se ipsum definitum erat, ut casu non egeret, praesertim cum artissime cum verbo coaluisset. Ceterum eadem pronomina etiam prima fuisse omnium vocabulorum quae declinarentur demonstratur eo, quod in omnibus linguis indogermanicis anomaliter flectuntur. Fortasse tum demum pronomina a verbo separabantur.

Quae quum ita sint, jam sequitur, ut neque ea casuum ratio, quae doctrina grammatica statuatur, principalis esse possit, quum casus principio omnes cum verbo conjuncti sint, neque quae apud Homerum inveniantur casuum notiones ex illa deducere liceat, quum talis interpretatio rei minime satisfaciat. Contra, si significationes casuum ex Homerico ipso sermone excusseris, lingua sanscrita quasi in fundamento posita, atque ex iis quae in disputatione nostra adhuc attulimus, res aliquanto aliter judicabitur.

10. Atque primum quaeritur, quid sit casus. Th. Rumpel l. l. p. 92. sic definit: casus esse eas nominis formas, quae in enuntiationibus usurpentur. Sed hac definitione neque formarum natura satis describitur, neque de notione quidquam docetur. Nam formae nominis, quae in enuntiationibus usurpantur, etiam *ϑώκόνδε, ϑύραζε, οὐρανόϑεν* et aliae sunt derivationes, quas casus arbitrari equidem dubitem. Opus igitur erit, illam definitionem accuratius describere.

Atque ut formam tantum respiciamus, id quidem pertinet ad casuum naturam, illas terminationes non ut suffixa loci *ϑι, φι, σε, ζε, δε, ϑεν* nomini affixas esse,

sed quasi ex vocis radice progerminasse. Ita ut supra diximus, casuum notiones non regula quadam constitutas esse, sed divinatione contineri, eodem modo formae casuum non arte compositae, sed per se ipsas ortae sunt, ut neque radix sine terminationibus neque terminationes sine radice esse possint. Obtinent igitur casus medium quendam locum inter compositionem, ad quam radice sola utimur (*νομο-φύλαξ*) et constructionem praepositionalem, qua relatio nominis a nomine ipso separatur, id quod idem si in notionem casuum inquiris notandum est. Nam etiam significatio casuum medium quendam tenet locum inter compositionem, qua notiones singulorum vocabulorum tantum conjunguntur, et inter constructionem praepositionalem, qua rerum inter se relationes quas sensibus percipimus indicantur: neque hoc medium aliud quidquam esse potest nisi relatio grammatica. Sunt igitur casus, ut breviter complectamur, *illae quasi naturales nominis formae, quae nominis relationem grammaticam indicant, et quidem a verbo proficiscentem.*

Necessariae autem hae formae non sunt. Fere omnes linguae, quas praeter indogermanicas cognovimus, casibus carent et illas relationes grammaticas aut compositione aut praepositionibus notant. Videtur igitur proprium esse linguarum indogermanicarum, quo magno opere prae ceteris excellunt, quod in ipso nomine illas relationes indicant.

Jam apparet, non posse statui numerum aliquem casuum. Nam si interest, quot omnino opus sit, demonstravimus, casuum formas non necessario in lingua postulari: sin autem id agis, quot esse possint, haec quaestio nihil ad rem pertinet. Nam sicut numeri nominis innumerabiles esse possunt, in sermone autem tres tantum inveniuntur, singularis, dualis, pluralis: ita in casibus unaquaeque lingua modum justum servavit

eorum, qui erant naturales [6]). Atque hoc quidem concedimus, nullos fortasse cogitari posse magis sermonis indoli et naturae convenientes, quam illos, qui in lingua fuerunt indogermanica.

11. Itaque hi casus linguae indogermanicae quot et quales fuerint, jam liceat excutere. Atque ut casus rectos praetermittam nominativum et vocativum, jam supra commemoravimus, in lingua sanscrita sex casus obliquos inveniri, quos casus demonstravimus et omnibus linguis indogermanicis communes esse et prin-

6) Quod *Pott* in „*Quaestionibus Etymologicis*“ exemplum ingentes casuum numeri sumit ex linguis finnicis, nescio an in his potius suffixa quam casus agnoscamus. Tale aliquid mihi probatur etiam ex declinatione syrgaenica, quam affert Gabelentz in Höfers Zeitschrift I p. 113. Nom. *pi* filius Accus. *pi - äs* filium Instrum. *pi-än* per filium Carit. *pi-täg* sine filio Dat. *pi-ly* filio Allat. *pi - lanj* ad filium Illat. *pi-ä* in filium Adess. *pi- län* apud filium. Iness. *pi-yn* in filio Ablat. 1. *pi-lys* a filio Ablativ 2. *pi-sänj* a filio Elat. *pi-ys* ex filio Consec. *pi-la* post filium. Ceterum etiam Pott casus ad loci relationes revocat. Conf. Etymolog. Forschung. Ed. II, 1859 vol. I p. 20 sq. „*Wenn nun die Casualsuffixe in den Indogermanischen Sprachen ohne Widerspruch aus demselben Teige geknetet sind, als die Praepositionen, ... und da in den ältesten Idiomen unseres Stammes noch gar viele Verhältnisse rein durch Casus klar ausgedrückt werden, welche ohne Beihülfe von Präpositionen darzustetlen späterhin unmöglich fällt .....; wo haben wir da zwischen den Endungen der obliquen Casus auf der einen und den Präpositionen auf der andern Seite die von der örtlichen Stellung unabhängige Linie mit scharf abtrennender, begrifflicher Bestimmtheit zu ziehen? Ich gestehe hiebei kaum eine andere mit einiger Sicherheit entdecken zu können, als die der Allgemeinheit und Besonderung. Im Beginn freilich waren die Endungen der obliquen Casus noch ebenso voll sinnlich lebendiger (und eig. örtlicher) Anschaulichkeit und Besonderheit als die meisten Präpositionen es bei der Anwendung auf Raumverhältnisse (ihrer ursprünglichen) gegenwärtig noch sind allein die Verhältnisse, denen sie sich anpassen lassen mussten (?), waren zu mancherlei, um nicht gleichsam schon bei der Geburt eine grosse Gebrauchsweite und Generalisirung nothwendig zu machen.*“

cipio cum verbo conjunctos fuisse. Separandi autem sunt in duo genera:

1. Accusativus, Genetivus, Dativus
2. a) Instrumentalis
   b) Ablativus, Locativus.

Ut enim supra diximus, casus medium quendam locum tenere inter compositionem et constructionem praepositionalem, ita illud genus magis se inclinat ad compositionem continetque eos casus, qui cum verbo artissime cohaerent ab eoque pendent (casus objecti): alterum autem proprius accedit ad praepositiones atque comprehendit eos casus, qui verbo tantum apponuntur neque ab eo pendent (casus adverbiales). Atque inter hos rem sive condicionem ad verbi actionem accedentem proprie exprimit instrumentalis. Ceteri duo casus locum spectant, transferuntur autem inde etiam ad tempus aliasque relationes.

Accuratius hos casus, quales in lingua Sanscrita sint, definire nondum nobis licet, quum haec res non satis a viris doctis explorata sit. Tamen quamvis grata sit haec comparatio, equidem censeo unamquamque linguam hac in re se ipsa posse contentam esse, praesertim quum probabile videatur, postquam jam diu formae casuum exstitissent, casuum usum inter homines illos solo naturali instinctu ductos laxiorem fuisse multumque fluctuasse, ut hodie quoque fit in ore hominum agrestium et litterarum grammaticarum rudium: neque inter se discretas aut constitutas esse ante illas tempestates turbulentas, quae, quum gentes antiquissimae pristinis sedibus relictis novas quaererent, in sermonem quoque incidisse censendum est. Retinebimus igitur ad tempus illas, quas attuli, distinctiones. Qualis in graeca lingua casuum facta sit notio, accuratius infra explicabimus.

Sin autem licet in hac re longius respicere, etiam hos sex casus uberioris formarum copiae reliquias esse probabile est. Equidem facere non possum quin cogitem praeter ablativum et locativum principio fuisse casum, qui *terminum quo* quem vocamus indicaverit, sed qui jam antiquissimo tempore interierit et cum accusativo confusus sit. Verisimile hoc reddit id, quod non casu factum videtur, ut accusativus saepe illum terminum notet; atque accusativo duae notiones continentur, quas nominibus accusativi objecti et accusativi contenti (Accus. des Inhalts) distinguere solemus. Num autem etiam instrumentalis fragmentum sit ex numero plurium casuum, de hac re nihil asseverare audemus.

Apparuit igitur in lingua indogermanica sex fuisse casuum obliquorum notiones atque sex formas illis notionibus respondentes. In graeca lingua eaedem illae sunt notiones, formae casuum tres Necesse igitur est hanc tempestatibus illis, quas dixi, trium formarum jacturam fecisse atque coactam fuisse, complures notiones antea distinctas una forma conjungere. Quod duabus rationibus factum esse potest. Aut altera notio altera latius patente absumebatur aut complures notiones confundebantur, quod vinculo communi inter se cohaeserunt. Hae duae casuum confundendorum viae tamen inter se non abhorrent aut discrepant, sed in linguis ab illa ad hanc processum est: differunt igitur gradu solum. Atque in graeco sermone, qualis est in Homeri carminibus, utrumque factum invenimus: connexuerunt dativum, locativum, instrumentalem uno casu quod omnes relationem quodammodo similem notant: ablativus a genetivo absumtus est. Tertiam rationem, qua casuum formae ita atterebantur, ut specie quidem duo casus congruant, ut in latina lingua genetivus

Romae et localis *Romae*, in graeca lingua locum habuisse, nos quidem concedere non possumus.

12. Solus accusativus ex illis turbis integer atque incolumis quasi enatavit, atque licet, quod supra verisimile censuimus, ex duobus casibus natus sit, quorum alter locum indicavit, ad quem quid perveniat, in Homerico quidem sermone et postea quoque totum aliquid atque unum est. Est autem casus ejus nominis, quod verbi notioni, quatenus in actione posita complementum (Ergänzung) actionis naturaliter desiderat, hoc complementum simpliciter addit sine ulla alia relatione, nisi ut verbi notionem illam compleat. Atque ita differt a dativo, qui rem verbi actionem excipientem, vel sententem ponit, et a genetivo, qui verbi actionem intra alicujus rei ambitum (Bereich) fieri et cogitari significat. In accusativo nihil hujusmodi inest, sed, ut dixi, nominis notionem cum verbi notione sine ulla relatione conjungit.

Atque hac ratione accusativus omnibus verbis adjicitur, non solum transitivis sed etiam intransitivis neque solum activis, sed etiam passivis: *accusativus graecus*, qui dici solet: forsitan rectius appelles *accusativum complementi*. *Β* 791. *εἴσατο δὲ φθογγὴν υἷι Πριάμοιο Πολίτῃ* *Λ* 683. *γεγήθει φρένα Νηλεύς* Thucyd. I, 32. *τὴν ναυμαχίαν ἀπεωσάμεθα Κορινθίους* Nicand. th. 259 *τῷ γάρ τε δομὴν ἰνδάλλεται ἴσην* Appollon. Rhod. II, 1260. *αἰδὴν ἧπαρ ἀνελκομένοιο Προμήθεος* Theocr. I, 91. *τάκεαι ὀφθαλμώς.* Eodem pertinent multa exempla, quae *accusativo rei contentae* tribui solent, ut *μάχην νικᾶν*, *Ὀλύμπια νικᾶν* et al., quibus *μάχης* etc. notio cum verbo conjungitur tantummodo ut verbi notionem accuratius definiat, non objectum, quod actione continetur, actioni adjicitur. Omnino sub hoc genere *accusativi rei contentae* loci congeri solent, qui talem inter-

pretationem non admittunt, sed aut hunc *accusativum complementi* habent aut *accusativum*, de quo infra locuturi sumus, *rei effectae*. Conferas exempla, quae affert Krueger, grammat. graec. I §. 46. 6. II § 46. 7.

Hunc accusativum etiam nomina sibi vindicant: *O* 643. *ἀμείνων παντοίας ἀρετάς. Τυφλὸς τὰ ὦτα. Σύρος τὴν πατρίδα.* Eadem fere notione etiam dativus et genetivus inveniuntur Nicand. th. 748. *δειρῇ πυρόεν.* Archiloch. fragm. 51, 5. p. 478. Bergk *νόου παρήορος.* Dativus autem vi instrumentali qualitatem indicat respondetque quaestioni *quomodo;* genetivus ambitum describit, intra quem praedicatum valeat.

Quin etiam loci et temporis determinationes hoc modo accusativo redduntur, quae accuratius aliis casibus describuntur. Loci nonnulla exempla affert Hartung l. l. p. 41: temporis haec compares: Apollon. Rhod. III, 417. *ἠέριος ζεύγνυμι βόας καὶ δείελον ὥρην παύομαι ἀμήτοιο* Arat. dios. 387. *ἐρχόμενοι σταδμόνδε βόες βουλύσιον ὥρην.* Etiam his locis accusativo verbum simpliciter determinatur, neque illae relationes cogitantur, quae in genetivo aut dativo insunt.

Prae ceteris autem accusativus locum habet apud verba transitiva, quae ex sua natura nomine egent, quo verbi notio compleatur. Atque primum significat eam rem, quae verbi actione petitur et afficitur: *accusativus rei affectae.* Jam quod sunt verba, quae in graeco sermone habent vim transitivam, in nostro sermone non habent, ut *ὀνινάναι, βλάπτειν, κολακεύειν, ζηλοῦν* etc. Krüger gr. gr. I § 46. 7., hoc non est casus naturae tribuendum, sed differentiae, quae inter verborum notiones intercedit. Quam arcte etiam hi accusativi cum verbo conjuncti sint, eo apparet, quod etiam duo hujus rationis accusativi cum verbo conjunguntur, quod fieri non posset, nisi alter accusativus cum verbo paene coalesceret. Atque hoc fit primum per *σχῆμα* quod

dicitur *καθ' ὅλον καὶ μέρος*: *N* 576. *Δηΐπυρον Ἕλενος ξίφεϊ σχεδὸν ἤλασε κόρσην*; qua constructione non ut vulgo dicunt duo accusativi appositionaliter conjunguntur, sed alter accusativus (partis) cum verbo quasi in unum corpus confunditur, id quod ex constructione passiva apparet: *Y* 480. *χεῖρα βαρυνθείς.* Eodem modo duo accusativi rei et personae verbo adjiciuntur atque dicitur *κρύπτειν τινά τι, ἐνδῦσαι τινά τι, διδάσκειν τοὺς παῖδας σωφροσύνην* Apollon. Rhod. IV, 157. *ἡ δέ μιν ἀρκεύθοιο νέον τετμηότι θαλλῷ βάπτουσ' ἐκ κυκεῶνος ἀκήρατα φάρμακα.* Conjungitur his locis accusativus rei cum verbo in unam notionem, ex quo accusativus personae pendet: quamobrem in constructione passiva accusativus personae nominativo commutatur, accusativus rei retinetur: *παῖδες διδάσκονται σωφροσύνην.*

Sed ut cum verbis transitivis accusativus conjungitur rei affectae, ita cum verbis motum indicantibus idem accusativus locum indicat, qui actione petitur, respondetque quaestioni *quo: δ* 322 *τούνεκα νῦν τὰ σὰ γούναθ' ἱκάνομαι* Theocr. XIV, 122. *ποτῶνται ὄζον ἀπ' ὄζω.* Optime hunc accusativum intelligemus, si verbum movendi verbo transitivo reddiderimus: *genua tua adeo.*

Deinde accusativus eam rem significat, quae actione verbi efficitur: *accusativi rei effectae.* Atque hac notione legitur conjunctus cum verbis *faciendi et eloquendi*, quum id, quod fit vel dicitur, ex actione faciendi, vel eloquendi prodeat: sed etiam cum aliis: *E* 361 *ἕλκος ὅ με βροτὸς οὔτασεν ἀνήρ*, quod perperam ex accusativo *rei contentae* interpretantur. Differt autem hic accusativus ab eo, quem modo tractavimus, quod non rem quasi extra verbi actionem stantem, sed rem ex actione prodeuntem et ita ex actione pendentem indicat. Neque id jam mirabimur, quod his praeter accusativum *rei effectae* etiam *accusativus rei effectae* adjicitur, ita

ut etiam haec verba cum duobus accusativus conjungantur, ad quos *accusativus complementi* accedere potest: Apollon. Rhod. III, 245. *καί μιν Κόλχων υἷες ἐπωνυμίην Φαέθοντα ἔκλεον.* Et paullo alia notione *E* 170 *ἔπος τέ μιν ἀντίον εὖδα*, quod jam propius ad accusativum *rei perfectae* accedit. In passiva constructione verba faciendi et appellandi cum duplici nominativo conjunguntur.

Denique accusativus objecti eam rem significat, quam actio quasi pervadit atque complet: *accusativus rei perfectae: γ* 71. *πόθεν πλεῖθ᾽ ὑγρὰ κέλευθα;* I 325. *ὣς καὶ ἐγὼ πολλὰς μὲν ἀύπνους νύκτας ἴαυον.* Dicitur autem primam localiter de via, quam actio emetiatur Apollon. Rhod. III, 473. *ἔβησαν τὴν ὁδὸν, ἣν τὸ πάροιθεν ἐκ πεδίου* ibid IV, 1439. *χθόνα πεζὸς ὁδεύων.* Tum temporaliter de temporis spatio, quod actione consumatur *η* 267. *ἑπτὰ δὲ καὶ δέκα μὲν πλέεν ἤματα ποντοπορεύων* Apollon. Rhod. IV, 1231 *ἐννέα πάσας νύκτας ὁμῶς καὶ τόσσα φέρ᾽ ἤματα.* Jam ipsa actio actione perfecta cogitari potest, sed quum sit pleonasmus, actionem per se agendi objectum ponere, hoc fieri non solet, nisi actione in nomine accuratius descripta: *βασιλείαν πασῶν δικαιοτάτην βασιλεύομαι* Theocr. XXIV, 7. *εὕδετ᾽ ἐμὰ βρέφεα γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον* ibid. I 1. *Ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς μελίσδεται, ἁδὺ δὲ καὶ τὺ συρίσδες.* Nicand. al. 219. *μακρὸν ἐπεμβοάᾳ γλώσσης θρόον.* Similiter Apollon. Rhod. I 971. *ᾧ ἐν ἀμειδήτους ἁγίας εὐνάζετο νύκτας.* Ita fit, ut sola actionis qualitas aut adjectivo aut nomine expressa accusativo reddatur: Apollon. Rhod. I, 971. *μείλιχον ἀντιάαν* Nicand. al. 125. *ὁ δ᾽ ἀελπέα δάμναται ἄταις* Theocr. I, 41. *κάμνοντι τὸ κάρτερον ἀνδρὶ ἐοικώς.* Nicand. th. 166. *ὁλκῷ δὲ τροχόεσσαν ἅλων εἱλίξατο γαίῃ* Theocr. XIII, 45. *ἔαρ δρόωσα.*

13. Ita accusativi notiones omnes ex illo principio ac fonte complementi verbi simplicissimi deducuntur; de dativo autem res prorsus aliter se habet. Dativus enim in Homerico sermone, ut ita dicam, conglutinatus est ex indogermanicis dativo, locali, instrumentali, quos Graeci uno casu reddiderunt [7]), neque horum casuum notiones sub unum genus revocari possunt; neque alia ab alia pendet, sed quum omnes actionis relationem similem indicent, hoc communi vinculo inter se conjungebantur.

Atque primum *dativus proprius* atque merus id significat, quod subjecti actione attingitur, et cum actionem excipiat vel sentiat, non patiatur tantummodo, relationem quandam init cum subjecto [8]). Sic cum dativo conjunguntur verba dandi, praebendi et al., quum is, cui datur, donum accipiat, verba pugnandi et aggrediendi, quum is, quocum pugnatur, impetum excipiat, verba imperandi et dominandi, quum is, cui imperatur, obsequatur, verba amicitiae et inimicitiae, quum is qui amice vel inimice tractatur, amicitiam vel inimicitiam

---

7) Hoc a veteribus jam ipsis sensum esse, loco memorabili demonstratur apud Quintil. I, 4, 26: Quaerat etiam sitne apud Graecos vis quaedam sexti casus et apud nos quoque septimi. Nam cum dico „hasta percussi" non utor ablativi natura: *nec si idem Graece dicam, dativi.*

8) Hoc ex commutatione constructionis intellegitur. Nam ut in re, in qua lingua latina a graeca nihil differt, latino exemplo utar, si in sententia *do tibi librum* commutata constructione accusativus objectum fit, hoc efficitur: *liber tibi a me datur;* si dativus, hoc: *accipis a me librum.* Qua in re quod postea sermo graecus paullo immutatus est, ita ut hoc etiam loco constructio passiva admitteretur, intellegis, quam vehementer graeci contenderint, ut illas diversas notiones in dativo mixtas melius atque accuratius confunderent. Apud Homerum hoc unum hujus modi exemplum inveni *δ* 177. *ἀνάσσονται δ᾽ ἐμοὶ αὐτῷ* (cf. Theocr. XVII, 92. *ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ*); quo loco miro Menalaus Ulixem cum tota gente Ithaca transducturus fuit, quam ob rem Nitzschius haud immerito versus spurios esse censet.

sentiat, verba similitudinis et dissimilitudinis, quum ut subjectum objecto, ita objectum subjecto simile sit, verbum *εἶναι*, quum is, cui quid est, habeat aliquid: et similes relationes subjicias talibus locis: Arat. dios. 29. *ὅσα που κεκρυμμένα κεῖται σήματα χειμερίοις ἀνέμοις ἢ λαίλαπι πόντου* Nicand. th. 100. *δήεις οὐλομένῃσιν ἀλεξητήριον ἄταις.* Etiam locus quaestioni *quo* respondens quum rem se moventem excipiat, hoc modo dativo reddi potest: *A* 3. *Ἄϊδι προΐαψεν* Nicand. th. 176. *προὔτυψε δὲ πόντῳ* Apollon. Rhod. IV, 79. *κραιπνοὺς χέρσῳ πόδας ἧκεν* ibid. 443. *θελκτήρια φάρμακ᾽ ἔπασσεν αἰθέρι καὶ πνοιῇσιν* Arat. phoen. 604. *ἡ δὲ θέει γαίῃ.* Et Apollonius Rhodius dicit I, 926. *ἱστία δ᾽ οὔρῳ στησάμενοι.* quod ventus vela inflat. Et a loco dativus etiam ad finem transfertur, quem actio persequitur Arat. phaenom. 582. *βουλυτῷ ἐπέχει πλεῖον δίχα νυκτὸς ἰούσης* Arat. dios. 384. *ἢ κοίτῳ πλευρῆς ἐπὶ δεξιτερῆς τανύσωνται.*

Magis haec dativi notio hebetata est in *dativo* qui dicetur *ethico,* qui quum rem vel hominem significet, ad quem actio ita refertur, ut aut ejus interesse aut ad eum pertinere cogitetur, inter tres illas dativi, locativi, instrumentalis notiones intercedit, ut arctius conjungantur: Arat. phaenom. 677. *ἀλλ᾽ οὐχ Ἡνιόχῳ Ἔριφοι οὐδ᾽ Ὠλενίη Αἴξ εὐθὺς ἀπέρχονται.* Eadem cum notione dativum cum participio conjunctum invenimus in locis, ubi genetivum absolutum exspectamus: Apollon. Rhod. III, 225. *ὕδωρ προρέεσκε, τὸ μὲν ποθι δυομένῃσιν θέρμετο Πληιάδεσσιν, ἀμοιβηδὶς δ᾽ ἀνιούσαις κρυστάλλῳ ἴκελον κοίλης ἀνεκήκιεν πέτρης* Arat. phaenom. 589. *ἐρχομένῳ δὲ Λέοντι τὰ μὲν κατὰ πάντα φέρονται, Καρκίνῳ ὅσσ᾽ ἐδύοντο* Nicand. th. 298. *νύγματι δ᾽ ἀρχομένῳ μὲν ἐπιτρέχει ἄχροον οἶδος* Arat. phaenom. 712. *Ἢ κριῷ λήγοντι φαείνεται ἢ ἐπὶ Ταύρῳ.* Cum his exemplis compares Homericum K. 187. *ὣς τῶν νήδυμος*

ὕπνος ἐπὶ βλεφάροιιν ὀλώλει νύκτα φυλασσομένοισιν, ex quo videbis quanto audaeius posteriores poetae epici hoc dativo usi sint. Ceterum alius generis est dativus instrumentalis in Theocr. XV, 134. *λύσασαι δὲ κόμαν καὶ ἐπὶ σφυρὰ κόλπον ἀνεῖσαι στήθεσι φαινομένοις λιγυρᾶς ἀρξώμεθ᾽ ἀοιδᾶς.*

Jam instrumentalem, ut supra explicavimus, ab initio rem cum alia conjunctam significat, quam notionem etiam in graeco sermone retinuit, ubi cum pronomine *αὐτός* conjunctus est. Apollon. Rhod. I, 1194. *ἐπὶ χθονὶ θῆκε φαρέτρην αὐτοῖσιν τόξοισιν.* Plerumque autem instrumentalis — et hic est proprius ejus locus — est casus earum rerum, quae cum actione conjunctae actionis qualitatem describunt: Theocr. VII, 19. *καί μ᾽ ἀτρέμας εἶπε σεσαρὼς ὄμματι μειδιόωντι* ibid. XV, 34. *λύσασαι δὲ κόμαν καὶ ἐπὶ σφυρὰ κόλπον᾽ ἀνεῖσαι στήθεσι φαινομένοις λιγυρᾶς ἀρξώμεθ᾽ ἀοιδᾶς Γ* 2. *Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ᾽ ἐνοπῇ τ᾽ ἴσαν* Apollon. Rhod. IV, 1686. *ἀπείρονι κάππεσε δούπῳ* Theocr. XII, 15. *ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ.* Theocr. VII, 33. *μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ ὁ δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν.* Modum describit etiam instrumentalis, quem vocant, differentiae atque perperam ex notione instrumenti vel causae efficientis interpretantur. Nam etiam hic instrumentalis indicat, *quomodo* vel *quemadmodum, qua ratione* quid sive majus sive minus, sive posterius sive prius etc. sit; neque hoc nomen, quod differentiam indicat, amplificationem vel comminutionem efficit. Notionem hujus casus intelleges clarissime, si comparaveris exempli gratia Arat. phaenom. 580. *τέτρασι γὰρ μοίρῃς ἄμυδις κατιόντα Βοώτην Ὠκεανὸς δέχεται.* Eodem modo intellegendus est instrumentalis differentiae: Theocr. XII, 18. *γενεῇς δὲ διηκοσίῃσιν ἔπειτα* Theocr. ep. 20, 8. *πολλοῖς μησὶν ὄπισθε κἠνιαυτοῖς* Theocr. XXIV, 2 *νυκτὶ νεώτερον.* — Denique ad modum pertinet instrumentalis limitativus,

qui quum valere aliquid non omnino, sed ex aliqua parte indicet, et ipse definit, quomodo quid valeat: *T* 431. *βίῃ καὶ χερσὶ καὶ ἔγχεϊ φέρτερος* Nicand. th. 381. *ῥινῷ δυσπατέοντας* ibid. 748. *δειρῇ πυρόεν* alexiph. 34. *ὄθμασι δινήθησαν.*

Deinde illas res, quae actionem comitantur, actionem efficere cogitare possumus; atque etiam hanc notionem subit casus instrumentalis: *instrumentalis causae efficientis aut moventis.* Definit autem etiam hic instrumentalis, *quomodo factum sit, ut aliquid eveniat.* Apollon. Rhod. II, 212. *ἔτι μοι νόος οἶδεν ἕκαστα ᾗσι θεοπροπίῃσι* ibid. III, 1077. *τὸν ὑπήιε δάκρυσι κοίρης οὖλος ἔρως*: cum participio ibidem II, 774. *ἄχος δ' ἕλεν Ἡρακλῆι λειπομένῳ.* Apollon. Rhod. I, 586. *ἀνέμοιο παλιμπνοίῃσιν ἔκελσαν* ibid. 951. *οὔτε σίνοντο Ποσειδάωνος ἀρωγῇ.*

Postremo instrumentalis eam rem significat, qua quis utens actionem verbi efficiat: *instrumentalis instrumenti.* Atque haec notio item non solum qualitatem verbi determinat, indicans *quomodo* quis quid efficiat, sed etiam derivatur ex principali illa, qua instrumentalis rem cum alia conjunctam significat: nam instrumentum necessario cum eo, qui instrumento utitur, conjunctum est: Apollon. Rhod. I, 670. *βάκτρῳ ἐρειδομένη.*

Exposita igitur hac secunda dativi vi instrumentali, reliquum est ut de tertia quae in graeco dativo inest notione dicamus, de locali. Dativus localis proprie loci et temporis determinationibus accommodatus est significatque id loci vel temporis punctum, in quo actio fiat. Differt igitur a genetivo loci et temporis, qui ambitum describit, intra quem actio cadat. Plura expósituri eramus cap. IV et cap. VII.

Hae igitur tres notiones dativo graeco continentur: neque alia alii subdita est, sed, ut ita dicam, omnes parem locum tenent: quamquam id quidem negare non

possumus, post Homerum paullatim absorberi locativum et ex parte instrumentalem, ita ut mallent praepositionem adhibere, qua aut loci aut conjunctionis notionem indicarent, dativo autem relationem praepositionis describerent. At perfecta est nunquam haec absorptio retinuitque dativus usque ad aetatem graecae linguae novissimam vim localem et instrumentalem.

14. Venimus jam ad **genetivum**, de quo maxime haec quaestio instituitur: atque in hoc casu, id ad quod in dativo aspiratum vidimus, perfectum est. Genetivus enim graecus ablativum re vera, ut ita dicam, in potestatem redegit, neque ut jam supra demonstravimus, apud Homerum ullus locus invenitur. quo genetivus per se locum significet, unde quid proficiscatur: sed haec vis in voce cum genetivo conjuncta aut inest aut intellegenda est. Genetivus autem ipse si cum accusativo comparaveris [9]), ab hoc casu vi aut partitiva aut causali differt i. e. genetivus illum circulum (Bereich) describit, intra quem quid aut est aut cogitatur: atque haec est genetivi propria natura.

Significat igitur genetivus primum eam rem intra cujus ambitum quid *est: genetivus partitivus.* Atque imprimis quidem hoc genetivo utimur, ut rem aliquam partem alius rei vel in numero aliquo esse indicemus: qui genetivus non tantum verbis adjicitur [10]), sed etiam substantivis, adjectivis, numeralibus, pronominibus: *α* 140. *χαριζομένη παρεόντων* *χ* 403. *βεβρωκὼς βοός* *Ι* 170. *κηρύκων δ' Ὀδίος τε καὶ Εὐρυβάτης ἅμ' ἑπέσθων* *Β* 714. *δῖα γυναικῶν* Ι 74. *πολλῶν ἀγρομένων τῷ.* Dicitur deinde hic genetivus etiam de temporis spatio,

---

9) Hoc clarissime elucescit ex exemplis, quae affert J. La Roche l. l. part. III, p. 152—178.

10) Delegamus eos, qui de hac re melius et id doctissime instituí volunt, ad locum J. La Rochii, quem attulimus adnot. 9.

intra quod quid fiat vel factum sit: Λ 691. *τῶν προτέρων ἐτέων*. De certo autem et definito temporis puncto, ut supra demonstravimus, dativus localis usurpatur, cujus quidem natura eo ipto a genetivi differt, quod localis est, genetivi partitiva. Jam, ut actio intra aliquod temporis spatium cadere potest, eodem modo intra aliam actionem aut esse aut cogitari potest; quod si in lingua graeca accidit, constructio adhibetur genetivi absoluti, qui nihil aliud indicat, quam universae enuntiationis relationem genetivam [11]). Deinde hic genetivus trans-

---

11) De hoc loco copiose atque fortasse nimis copiose disputavit *Jo. Classen*, *Beobachtungen über den Homerischen Sprachgebrauch*. Pars. IV. Progr. gymnas. Francof. 1857; cui quamquam in nonnullis non satis astipulamur, res tamen bene congcssit. Sententiam suam his maxime locis explicavit: l. l. p. 38. „*Darum scheint es mir nicht rathsam, für die Erklärung jener accessorischen Genitive irgend ein bestimmtes Princip der Zeit oder Ursache aufzustellen, von welchem aus eine allmählige Erweiterung über andere Gebiete ausgegangen sein soll: in ihrer participialen Eigenschaft liegt die Fähigkeit zur selbständigen Einführung neu hinzutretender Umstände, in dem Casus die Möglichkeit des Anschlusses an einen gegebenen Hauptgedanken*“ et p. 33. „*Ohne an diese Bemerkung* (sc. de participiis absolutis aoristi et praesentis) *eine voreilige Schlussfolgerung knüpfen zu wollen, erlauben wir uns nur die Andeutung: dass die Anwendung des absoluten Aoristparticipiums zur Bezeichnung einer ursächlichen Einwirkung unzweifelhaft einen Fortschritt des Sprachgebrauchs von der einfachen Angabe gleichzeitiger Umstände durch Praesensparticipia voraussetzt.*“ Docet igitur Classenius in participio positam esse facultatem rerum accedentium cum sententia primaria connectendarum. Fateor me hoc non satis intellegere: nam etiamsi re vera casu res accedentes cum sententia primaria conjunguntur, tamen eaedam casu etiam introduci videntur in sententiam. Participium autem significat introduci non tam res, quam actiones, quae vel fiunt, vel factae sunt.

Nos genetivum, qui dicitur, absolutum ita explicamus. Eodem modo, quo res, quae substantivo redditur, relationem init genetivi, eodem modo actio quae verbo vel tota sententia declaratur, hanc relationem grammaticam recipere potest. Conjungitur autem actio

ferri potest ad indicandum locum, aut intra cujus ambitum sit aliquid aut qui particulatim actione carpatur. hymn. III, 143. *οὐδέ τίς οἱ δολιχῆς ὁδοῦ ἀντεβόλησεν*

---

tali relatione aut cum una aliqua voce aut cum tota sententia ita ut actio sententiae primariae intra hanc actionem cadat, quae relationem genetivi induit. Sermone si hanc relationem exprimere voluerunt neque confugere ad conjunctionum vel praepositionum subsidium, quae quamvis affines tamen aliud significant neque hanc relationem aeque referunt: nihil relinquebatur, nisi ut ipsam totam sententiam casu genetivo pronunciarent. Neque haec totius sententiae relatio genetiva reddi potuit, si tempora finita retinuerunt: necesse igitur erat, modos finitos modis infinitis mutare i. e. aut infinitivo aut participio uti, quae declinationem et casum genetivum admittunt. Neque tamen nihil referre apparet, utrum hic an ille modus usurpetur: nam infinitivo actio ipsa per se premitur, participio actio rei adhaerens notatur.

Usu igitur in sermone posteriorum scriptorum infinitivus et participium ita distinguuntur, ut si illa actio, quae relationem genetivi subit, grammatice ex voce una aliqua pendeat, infinitivus ponatur, exceptis nonnullis verbis, quibuscum etiam participium conjungitur illa notione, quam modo explicavimus; sin autem actio primariae sententiae intra aliam actionem cadat, praecipue relatione temporali aut causali, participium. Infinitivi genetivus toti sententiae adjungitur vi tantum consecutiva et finali (cf. Krüger gr. gr. I §. 47. 22. adnot. 2. p. 259): sed haec ipsa constructio maxime differentiam genetivorum infinitivi et participii illustrat, quoniam etiam hoc loco ad rem pertinet actio, non actio alicui rei inhaerens.

Apud Homerum, quae est in illius carminibus simplicitas sententiarum et constructionum, genetivus infinitivi nunquam, genetivus participii, quem genetivum absolutum dicere solemus, non saepe legitur. Tamen probare non possum eorum sententiam, qui in Homero initia et incunabula hujus genetivi inveniri neque hanc constructionem multo ante aetatem Homericam exstitisse arbitrantur: in quorum numero etiam Classen est (cf. l. l. p. 13). Nam et similes constructiones in omnibus linguis indogermanicis usurpantur, ita ut non propriae uni alicui, sed omnibus communes esse videantur: et sermonis ingenio tam convenienter formatae sunt, ut mirum foret, nisi ex antiquissimo jam tempore originem deducerent. Atque illi quidem Homeri loci, quos vestigia illius primae originis praebere

γ 251. *οὐκ Ἄργεος ἦν Ἀχαιικοῦ* B 785. *μάλα δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο.* Eodem pertinent etiam adverbia loci in *ου, αὐτοῦ, ἀγχοῦ, ὁμοῦ, ὑψοῦ, πού, ὅπου, τηλοῦ* et in *ω, ἀγχοτάτω, προτέρω, ὀπίσσω* etc., quibus hujus genetivi antiquissima vestigia contineri putamus.

Deinde genetivus ad relationes, quas non oculis cernimus, sed mente percipimus, transfertur significatque eam rem, intra quam aliquid cogitatur; quem genetivum Krüger quidem *genetivum relationis*, nos genetivum *determinationis* (Gen. der Begränzung) dicere malumus, quum relationem dativo tribuerimus. Atque ita cum verbis curae, indignationis, peritiae, incipiendi, dominandi, complendi, tangendi et aliis conjungitur ad id indicandum, intra cujus fines curam, indignationem, peritiam etc cogitamus: *Α* 56. *κήδετο γὰρ Δαναῶν* Archiloch. fragm. 124 Bergk *τέο χολούμενος* *M* 229 *μένεος δὲ μέγα φρένας — πίμπλαντ'* *M* 299. *εἰδείη τεράων* *I* 97. *σέο ἄρξομαι* *Α* 38. *Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις* Apollon. Rhod. I, 842. *δεξιτερῆς χειρὸς θίγεν.* Memoranda sunt ea verba, quae praeter accusativum genetivum sibi sumunt partem indicantem, intra quam actio fiat: *Α* 197. *ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα* *Δ* 154. *χειρὸς ἔχων Μενέλαον* Apollon. Rhod. I, 313. *καί μιν δεξιτερῆς χειρὸς κύσεν* ibid. I, 760. *ἐὴν ἐρύοντα καλύπτρης μητέρα* ibid. II, 106. *τὴν δ' Ἥρη ῥαδινῆς ἐπεμάσσατο χειρός.* Atque hac ratione cum genetivo verba conjunguntur, qui in prosa oratione vix hunc casum admittunt: *φ* 36 *γνώτην ἀλλήλων* Arat. dios. 316. *χειμῶνός κε λέγοιεν* ibid. 334. *εἴποι τις ἐπερχομένου χειμῶνος* ibid. 2. *ἀεξομένου διδάσκει μηνός* ibid. 61. *χειμῶνος συναγειρομένοιο διδάσκοι.* — Idem genetivus

---

putant, mihi quidem nihil demonstrare videntur nisi vim illam vivam Homericae constructionis et omnino graeci sermonis, quae mente tantum et cogitatione percipi, non regulis coartari potest.

determinationis eadem notione adjectivis variis adjicitur: E 49. *αἵμονα θήρης* E 554. *ἀφνειός βιότοιο* Z 195. *καλὸν φυταλίης καὶ ἀρούρης* Archiloch. fragm. 51, 5. Bergk *νόου παρήορος* Simonid. fr. 6, 53. Bergk *ἀδηνὴς εὐνῆς ἀφροδισίης* E 497. *καὶ ἐναντίοι ἔσταν Ἀχαιῶν* Apollon. Rhod. I, 974. *ἀκήρατος ὠδίνων* ibid. II, 65. *θυέων ἀγέραστον* — Jam cum comparativis conjunctus genetivus determinationis eam rem indicat, intra quam gradationis notio sit cogitanda: E 898. *ἐνέρτερος Οὐρανιώνων.* Atque idem est genetivus, qui cum verbis compositis vel praepositionibus ipsis conjungitur, idem genetivus exclamationis, qui quasi ambitum exclamationis describit: v. 209. *ὤ μοι Ὀδυσῆος ἀμύμονος* Theocr. XV, 4. *ὢ τᾶς ἀλεμάτω ψυχᾶς* et sine interjectione Theocr. XV, 5, *πολλῶ ὄχλω* ibid. 75. *χρηστῶ κοἰκτίρμονος ἀνδρός.*

Latissime denique patet genetivus cum substantivis aut verbo *εἶναι* adjecto aut non adjecto conjunctus, qui fere omnes substantivi relationes reddere potest. Nam supra ut diximus actionis casum esse accusativum, ita substantivi proprius est casus genetivus, quoniam substantivum statum immanentem, non actionem accidentem describit atque genetivus rem significat, intra quam hic status immanens cogitatur.

Reliqua, quae in dissertatione Amplissimo Philosophorum Ordini tradita inerant, nunc quidem omittimus: reservavimus autem in aliud tempus, quo totam hanc rem copiosius tractare instituimus.

VITA.

Natus sum ego Carolus Fredericus Julius Ebinger a. d. XIV. Cal. April. 1841 *Pillaviae patre optimo Julio et matre delectissima Emilia e gente Kuhr. Fide evangelica educatus eique addictus sum. Anno* 1858 *e gymnasio Gumbinnensi cum maturitatis testimonio dimissus Academiae Albertinae prorectore ill. Richelot civis factus et apud facultatem philosophicam nomen professus sum.*

Docuerunt me per tres annos et dimidium prof. ill. Rosenkranz logicen; prof. ill. Lehrs encyclopaediam philologicam, Graecorum antiquitates, litterarum Graecarum historiam, doctrinam metricam, Horatii satirarum interpretationem; prof. ill. Friedländer Romanorum antiquitates, litterarum Romanorum historiam, mythologiam Graecam, quaestionem Homericam; prof. ill. Nesselmann linguam Sanscritam; prof. ill. Giesebrecht Romanorum et Graecorum historiam; prof. ill. Zacher Wackernagelianae chrestomathiae theotiscae interpretationem; dr. doct. Herbst Shakespearii interpretationem. Denique seminarii philologici exercitationibus interfui omnibus; itemque exercitationibus philologicis, quas instituit prof. ill. Friedländer.

His omnibus viris nec minus illis, qui antea litteras me docuerunt, gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo.